

In lectionibus meis Tuum agere præconem non intermittam, lætor enim tuum nominare nomen. Nil mihi hoc tempore deest nisi sola Flora. Floræ fere exul sum alumnus. Hortus Agerumensis * jamjam impressus est, quamprimum prodiit, ut habeas curabo. Nil alias in hisce borealibus terris novi; in actis literariis Sueciæ catalogum animalium, insectorum, &c., inseri curavi cum citationibus auctorum.†

Instruitur hic societas scientiarum Stockholmiæ,‡ quæ observationes in historiâ naturali, physicis, mathematicis et æconomicis tradat, nil ultra. Quamprimum in actum pervenit Invitatoria ad te perveniet epistola.

Si quæ supersit memoria mei, si quis amor, supplex precor aliquot vel semina, vel plantas vel Orchides præsertim ad me derives, pro novo horto Stockholmiæ a me nuper incepto; quæ plantæ dein enatæ, tuum celebrabunt apud nostros illustre nomen.

Si quid ad me derivare velis benigne quasdam [quæso ?] id mittas *quantocius* ad *Consulem Jacobum Borckers Roanæ* § habitantem, qui hoc tradat Capitainco navis *Suenori Bolin* regens *navem* a *Roana* dictam, et ea habebo certissimus.

Devota mea officia reddas Illustrissimo fratri tuo, nec non Præcessori ejus,|| *Viduae Valantii*, *Pictori regio*,¶ *Botanico pharmaceutico* per sylvam *Fontis Bellilaquei*

ipsi sacratæ species, prima *exaltata* nomine ornata amicitia adhuc perstante, eâdem disruptâ duæ posteriores *demissa* et *alienata* nominibus dedecorate.

* *Joh. Eberhardi FERBER Hortus Agerumensis, exhibens Plantas saltem rariores, quas Horto proprio intulit, secundum Methodum Linnæi Sexualem digestus.* Holmiæ. 1739.

† *Animalia per Sueciam observata, in Act. Liter. et Scient. Sueciæ.* 1736. p. 97–138.

‡ “*At this time Captain Triewald was projecting the institution of an Academy of Sciences in the metropolis, concerning which he frequently consulted Baron Høpken and Dr. Linnæus; and with these Jonas Ahlström, a man deserving well of his country, was also associated. These persons met, formed their regulations, and laid the foundation of the Academy in the month of May. They drew lots for the offices, and that of President fell on Linnæus.*” (From Linnæus’s Diary.) — “*This was the origin of the present Academy of Sciences of Stockholm, which rapidly increased in numbers and reputation.*” (PULTENEY.)

§ Rothomagi.

|| Designare videtur Antonium Tristanum DANTY D’ISNARD qui reverâ professor in locum Tournefortii anno 1708 defuncti electus fuerat; sed cui, post primum lectionum cursum, valetudinis et studiorum gratiâ, mox abdicanti successit Antonius de Jussieu, tum annos viginti et tres tantum natus.

¶ Claudius AUBRIET, Catalauni anno 1651 natus, Tournefortium in itinere per orientem comitatus erat, cujus opera optimis iconibus illustravit, ut et Botanicon Parisiense Vaillantii. Sub his ipsorumque successoribus in Horto Regio longam vitam delineandis et pingendis rebus naturalibus, præsertim plantis, consumpsit, et, post Nicolaum Robert et Joannem Joubert, splendidam tabularum continuavit seriem, jussu Gastonis ducis Orleanici inceptam, quæ nunc in Museo Hist. Natur. Parisiensi, sub nomine *Collection des Velins du Muséum*, servatur in dies amplificata. — Hunc senescentem adjuvit, inque ipsius anno 1743 defuncti locum suffecta est, Magdalena Francisca BASSEPORTE, de quâ toties in sequentibus epistolis mentio, cui debentur icones in